



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

VIII. Iuramentum, quod Hincmarus archiepiscopus edere iussus est apud Pontigonem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI 1576.  
tudinem longius fatigari nolumus : hos fratres nostros, Ioannem videlicet Tuscanensem, & Ioannem Aretinum, venerabiles episcopos vobiscum morari decreuimus, vsque dum res vnde agitur optatum finem diuina fauente gratia accipiat. qui quidquid seu in euocanda Synodo, seu in definiendo, seu in contemptoribus feriendis definierint, auctoritate apostolica libere definiant. Quidquid ipsi deliberauerint, & dominus apostolicus cum omni sancta Romana ecclesia determinabit, & in perpetuum mansurum statuet & firmabit.

VIII.

*IVRAMENTVM, QVOD HINC MARVS archiepiscopus edere iussus est apud Pontigonem.*

**S**ic promitto ego, quia de isto die in antea isti seniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens & adiutor, quantumcumque plus & melius sciero & potuero, & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero, absque fraude & malo ingenio, & absque vlla dolo sitate, vel seductione, seu deceptione, & absque respectu alicuius personæ. Et neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam vel intromissam personam, vel quocumque modo ac significatione, contra suum honorem, & suam, ecclesiæ, atque regni illi commissi quietem & tranquillitatem atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam. Neque vnquam aliquod scandalum mouebo, quod illius præsentis vel futuræ salutis contrarium vel nocuum esse possit. Sic me Deus adiuuet & ista sancta patrocinia.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

[ *Concilium Pontigonense.* ] Actorum huius Concilii hætenus perpauca, eaque mutila, & cum Ticinensibus confusa gestis habebamus. Nunc multis partibus auctiora, & notis quæque suis distincta prodeunt, adscitis etiam ex diuersis exemplaribus epistolis pontificiis, quæ in hoc Concilio recitatæ ferebantur, & plusculis aliis monumentis ad eandem Synodum spectantibus, quorum fit mentio fere omnium in synopsi Aimoini. Constat ergo primum Romæ coronatum fuisse Carolum imperatorem die natalis Domini sub finem anni DCCCLXXV. cuius coronationis, vt dixi, acta non extant. Tum deinde celebratum a nouo imperatore Conuentum fuisse Ticinensem